

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Commentatio Academica De Recta Theologiae Parabolicae
& Allegoricae Conformatione**

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Christlieb, Wilhelm Bernhard
Rühle, Christian Andreas**

Tubingae, 1729

§. 2.

[urn:nbn:de:bsz:31-41906](#)

- probatum in Philol. sacrâ L. II. P. 1. tr. 2. sect. 3. art. 1. 2. Ita queritur, num Matth. XII. 38. sqq. insinuetur, Jonam esse typum Christi, vel num nuda hæc sit comparatio, quam hic instituit Christus. Vide heic in utramque partem disputantes unum anonymous, alterum H. Heisenium in Musæo Brem. Vol. 1. P. 3. n. 2. p. 391. sqq. & P. 4. n. 1. p. 557. sqq.
- (d) Confer hic Flacium in clavi Scr. S. P. 1. col. 340. sqq.
- (e) Typus quippe est *figura*, ex instituto divino rem futuram *presignificans*. Allegoria saltem repræsentanda & per hanc representationem explicandæ rei ergo adhibetur. Conferri hic meretur idem Flacius in clavi Script. sacræ col. 76. editionis Mufeanae.
- (f) Allusio est ejusmodi dictio sive simplex, sive figurata, generalis sive specialis, quâ vel propositione generali adhibitâ ad speciale quid, quod tam clarè efferre nolumus, vel propositione metaphorica ad aliud quoddam factum vel ad cærimoniam aut consuetudinem quandam aut aliud quid digitus intenditur. Conferri possunt Flacius idem in l. c. col. 295. 296. & Glässius P. 1. l. c. L. 5. tr. 1. C. 20. p. 494. sqq.
- (g) Accommodatio est allusio verbalis, qua verba saltem, de aliâ re alibi propofita, nullâ typi vel allegoriæ à Spiritu S. intenta ratione adhibitâ ad p̄fens negotiorum accommodantur & applicantur. Heic queritur, num in sacris talibus inveniantur accommodationes? Ita omnino res se habet. Vide e. g. Rom. X. 6. sqq. 2. Cor. VIII. 14. 15. IX. 9. Diximus hanc in rem quædam in diff. de rectâ Theologiae typicæ conformatione p. 11. 12. & de rectâ conformatione Theol. prophetica p. 18. 22. Adde jam Marckii exerc. text. 20. §. 1. 13. p. 168. 182. comment. in Pentat. p. 701. & syllogen diff. ad sel. textus N. T. exerc. 4. §. 7. p. 119. 120. itemque Königium in vindiciis p. 181. Alii per accommodationem intelligent porismata & applicationes practicas sensus literalis. Ita Waltherus in Harmonia Biblica p. 499.

§. 2.

De allegoriis verbalibus, quæ in sacris literis continentur, non est, quòd jam simus solliciti. Altior de allegoriis realibus disquisitio est, quæ species sensus Scripturæ sacræ mystici sunt, qui rectè triplex dicitur *typicus*, *parabolicus* & *allegoricus* (a). De sensu typico & parabolico in superioribus diximus. Allegoricus historiam vel personam vel legem & institutum V. T. transfert vel ad spirituale quid in V. vel N. T. (b) aut ad vitam æternam (c), vel morale quoddam porisma (d) inde extrahit. Ex quo jam patet, sensum *anagogicum* & *tropologicum* species *allegorici* esse. Nec tamen inde sequitur, unius effati Biblici variis sensus *immediatos* esse (e), cum sensus uniuscujusque mystici fundamentum sit sensus *literalis*, qui verò sensu mystico subinde (neque enim

enim omnes sensus literales mysticum secum vehunt (f), fœcundus est , imò infinitos sensus porismaticos (g) ex ipso fluentes complectitur , qui verò omnes sunt mediati (h).

(a) Omnes tamen & hi sensus cum literales evadunt , quando in libris N. T. expressè determinantur , et si in relatione ad sensum literalem V. T. vel parabolæ vel historiæ vel typi sint mystici . Vide supra p. 23.

(b) Ita historia duarum Abrahami uxorun Gen. XVI. & XXI. transffertur ad duo testamento , vetus & novum eorundemque proprietates repræsentandas , Gal. IV. 22. sqq. ita historia de facie Mosis splendente deque velamine faciei ejus imposito Ex. XXXIV. 29. sqq. transffertur ad gloriam V. T. & Judæorum in intelligentis scripturis V. T. cœxitatem significandam 2. Cor. III. 7. 13. 14. ita Pſ. XIX. 1. sqq. allegoria ab operibus creationis & sole perita transffertur ad Evangelium ejusque prædicationem per totum mundum faciendam Rom. X. 18. ita institutio conjugii Gen. II. 24. transffertur ad spiritualem Christi cum Ecclesiâ unionem repræsentandam Hos. II. 19. Eph. V. 31. 32.

(c) Eiusmodi ἀναγογία invenire est in illis dictis , queis terra Canaan , Hierosolyma terrestris & Sabbatum Judaicum transfferuntur ad patriam cœlestem vitamque & requiem aeternam significandam . Vide Hebr. IV. 3. sqq. XII. 22. sqq. Apoc. XXI. XXII. Et hic sensus anagogicus stricte sic dictus est , Alias & ἀναγογία sensu latiori ideni est ac ἀλληγορία . Vide Flacii Clavem Scr. S. P. 1. col. 313.

(d) Sic ex historia uxoris Lothi Sodomâ egredientis & retrospicientis Gen. XIX. 17. 26. morale porisma extrahitur Luc. XVII. 32. ne ex spirituali Sodomâ hujus mundi (atqui verò & heic latet sensus allegoricus primi ordinis) egressi retrospiciamus & novo illius amore capiamur , sic lex divina de azymis in die Paschatis comedendis Ex. XII. 15. 17. transffertur à Paulo 1. Cor. V. 7. 8. ad fermentum spirituale peccatorum everendum & vitam in sincerâ atque nullo peccati fermento infectâ animorum nostrorum renovatione agentem , ubi tamen iterum sensus allegoricus primi ordinis includitur.

(e) Ita sunt ex Judæis , ex Patribus , Pontificiis , ex Reformatis , ex Fanaticis , qui statuunt . Confer Glafli Philol. sacram L. 2. P. 1. tr. 1. lect. 2. Novissimè ex Reformatis exempla nova ad probationem hujus θεοεις attrulere Vitrunga & Deusingius , ille quidem in præfatione ad H. Teilmanni comment. in Luc. XVI. hic verò in præfatione ad Mosen Evangelizantem , statim sub initium . Non vacat jam , vindicias unius saltem Scripturæ S. sensus literalis dare . Paucis saltem hæc dicimus , vocem unam pro duabus positam & sensus subordinatos vel coordinatos varios Scripturæ sacra sensus immediatos haud gignere , sed & , multum in hæc controversiâ esse λογοταχία , facile dispellendum , si res explicetur . Multos autem unius dicti Biblici subinde dari sensus mysticos , à Spiritu S. intentos haud facile quis negaverit . Conferri hic possunt , que ex Patribus , Melanchthon , Pagnino , Hyporio de vario Scr. S. sensu ponit Flacius in clave Script. S. P. 1. col. 66. sqq.

155. sqq. Ex nostris duplcam Scr. S. sensum eamque immediatum in der Antvort contra Stolzium defendere sustinuit Ill. Brenneysen P. 1. §. 31. 32. p. 52. sqq. Ex Pontificiis velim hic conferri libellum nuperimè Parisiis contra Abb. Affeldium editum : *traité du sens literal & du sens mystique des saintes Ecritures selon la doctrine des Pères.*

- (f) Nota benè , tuū saltem sensum mysticum statuendum , cùm scriptura sanctior illum vel disertè ponit , vel analogia illius illum exerto velut digito certius commonstrat. Itaque peccaveris interpres , qui conjecturis suis hīc nimium tribuerit & luxurianti heic ingenio frena laxaverit.
- (g) Ita ex uno eodemque textu porisnata dogmatica , elenctica , pædevtica , epanorthotica , paracletica subinde possunt , que omnia in textu latent , & per consequentias inde deducuntur , eandem cum ipso textu autoritatem divinam habentes.
- (h) Intercessit hanc in rem nostris temporibus contentio inter Jos. Schvarzium & Henr. Muhlium , Superintendentes Holsatiae Regiae & Ducalis Generales , ubi ille quidem hujus apodixin adortus est in den *Chiliasmischen Vorspielen* p. 74. sqq. Sed addi velim J. M. Krafftii historischen Bericht von den Holsteinischen Kirchen - Streitigkeiten p. 39. sqq.

§. 3.

Familiare verò fuit genus dicendi allegoricum populis Orientalibus , ut mirum non sit , illud in scripturis sacris etiam frequentari. Pertinet hūc Ægyptiorum aliorumque veterum Theologia symbolica & hieroglyphica (a) , Poëtarum Græcorum (b) , Philosophorum itidem , maximè Pythagoricorum (c) & Platonis (d) methodus , philosophiam per allegorias tradendi , Philonis & Essenorum idem studium , res divinas & naturales infinitis allegoriis involvendi atque ita etiam ipsam Scripturam sanctiorem explicandi (e) , Patrum (f) , Originis maximè (g) , imò & hæreticorum quorundam veterum , maximè Gnosticorum in allegoriis Biblicis fingendis luxuria , quos deinceps secuti sunt Scholastici (h) & Pontificii (i) , à quibus nimium illud allegoriæ studium ad illos ex Reformatis , qui Cocceji maximè & Placæi partes sequuntur , dimanavit (k) , Mysticis deinceps & Fanaticis quoque allegoricâ Scripturæ S. explicatione ad incrusteda dogmata sua perperam abutentibus (l) . Maximè verò in exegeſi Scripturæ divinioris allegoricâ modum excessere Judæi , quorum insanum heic studium non potest non fastidium sapientibus creare (m) .

- (a) Autores hūc spectantes allegavit cel. Fabricius in Bibl. Græcâ L. I. C. 13. Adde tamen Huetium in demonstr. Evang. prop. 9. §. 9. & de orig. fabul.